

Deum abstractivè cognoscit; & eadem notitia, qua in-

35 Ad confirmationem, dato Antecedente, nego Consequen-

36 Obijces secundo: In Angelis datur virtus bene confi-

37 Respondeo inquisitionem & discursum non requiri per

Ad illud quod subjungitur de scientia, dicendum est im-

38 Obijces tertio cum Suarez: Elio Angeli non discurrant

mul evidentem & obscurum, certum & opinativum, ne-

Respondeo approbando contrarium inter arguendum

§. III.

Corollaria notata digna.

EX dictis in hoc articulo habes primo resolutionem al-

Dices primo: Intellectus Angelicus interdum utitur plu-

Respondeo primo negando Antecedens: quia ad propo-

Respondeo secundo, dato Antecedente negando Conse-

Dices secundo: Angelus interdum attribuit subjecto ordi-

Respondeo non repugnare quod eodem conceptu intelli-

Dices tertio: Veritas & falsitas non reperiuntur in sim-

Respondeo distinguendo Majorem: non sunt nisi in com-

DISPUTATIO XI.

De dilectione Angelorum.

Ad questionem 60. Divi Thomæ.

Abolatis his quæ ad intellectum Angeli pertinent, or-

ARTICULUS UNICUS.

An amor, quo Angelus seipsum & Deum naturaliter diligit,

Certum & indubitatum est apud Theologos, Angelum r

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico breviter, Angelum seipsum, & Deum ut aucto-

Probatur prima pars ratione fundamentali: Angelus co-

Adde quod ex naturali cognitione, qua Ang. se & omnes

Probatur secundo eadem prima pars, ratione quam in-

Ex his probata manet secunda pars conclusionis. Nam

tionis & divisioni: & ideo in illa veritas aut falsitas re-

43 Ex dictis etiam colliges plures prerogativas & excel-

44 Deinde, Scientia Angelorum semper est in aliquo actu

45 Præterea Ang. non discurrit, nec componendo vel di-

46 Denique in Ang. duplex solet distingui cognitio, ma-

47 Denique in Ang. duplex solet distingui cognitio, ma-



seipsum amat necessario quoad exercitium, eadem necessitate Deum ut auctorem & finem naturalem diligit. Unde sicut ex cognitione qua se & omnes suas naturales perfectiones comprehendit, resultat necessario iudicium practicum omnino immutabile de sui dilectione, & ita ex cognitione qua Deum ut auctorem & finem naturalem in seipso tamquam in speculo purissimo contemplantur, oritur necessario iudicium practicum omnino immutabile, quo iudicat illum esse necessario diligendum, ut magis ex argumentorum solutione patebit.

§. I.

solventur objectiones.

Obijcies primo: Esse semper in actu secundo, arguit infirmitatem in potentia: Sed voluntas Angeli est finita: Ergo non est semper in actu dilectionis sui & Dei ut auctoris & finis naturalis.

Respondet: esse semper in actu secundo per identitatem potentie cum actu, arguere infirmitatem simpliciter, non tamen esse semper in actu secundo realiter distincto a potentia seu subiecto operante: Sol enim semper illuminat, & animalia gaudent continuo motu cordis & pulmonum. Cur ergo similiter Angelus non poterit continua sui cognitione ac dilectione gaudere? cum cognito & dilectio sui in Angelis, se habeat sicut motus cordis & pulmonum in animalibus, & sit principium omnium operationum naturalium Angeli, sicut motus cordis est causa omnium motuum vitalium animalis.

Obijcies secundo: Voluntas non necessitatur quoad exercitium ad illum actum, in quo potest apprehendi aliqua ratio mali aut minoris boni: Sed Angelus aliquam rationem mali, aut minoris boni, in dilectione sui & Dei ut auctoris naturae apprehendere potest: Ergo nec seipsum, nec Deum ut auctorem naturae diligit necessario quoad exercitium. Major patet, Minor probatur. Angelus potest apprehendere dilectionem sui, ut impedivam, ne toto conatu feratur in Deum ut ultimum finem: similiter potest voluntatem Dei dilectionem apprehendere, ut impedivam exercitii liberatis circa suspensionem talis actus: Erat aliquam rationem mali, aut minoris boni Angelus in dilectione sui, & Dei ut Auctoris naturae apprehendere potest.

Respondet concessit Majori, negando Minorem. Ad cuius primam probationem, nego Antecedens: cum enim Angelus non se amet nisi ut medium in ordine ad Deum ut finem, & amor mediorem non tollat aut minuat affectum ad finem, sed potius ex affectu ad finem nascatur amor mediorem, repugnat quod Angelus sui dilectionem apprehendat ut impedivam ne toto conatu feratur in Deum ut ultimum finem: sicut in supernaturalibus voluntas ferat simul per caritatem in Deum & in proximum, absque eo quod dilectio proximi impediat vel diminuat amorem Dei.

Ad secundam probationem, nego etiam Antecedens: nam quando aliquis actus versatur circa objectum dignum amore necessario, & cognitum ut tale, non potest exercitium liberatis circa illud apparere bonum, ut patet in amore beatifico: ex eo enim quod versatur circa Deum dignum amore infinito, & cognitum ut talem, non potest ulla ratio boni honesti, utilis, aut delectabilis in exercitio liberatis circa illum apparere. Unde quia dilectio naturalis Dei in Angelo versatur circa Deum, cognitum naturaliter ut dignum amore necessario, non potest in suspensione illius amoris, & in exercitio liberatis, circa huiusmodi objectum, aliqua ratio boni apparere.

Dices, Solus Deus clare visus potest necessitate voluntate quoad exercitium amoris: Sed Angelus non habet naturaliter clarum & intuitivam cognitionem Dei ut auctoris naturae, sed tantum abstractivam: Ergo non potest necessitari ad exercitium amoris naturalis erga illum.

Respondet quod licet Angelus non habeat naturaliter clarum visionem auctoris naturae, habet tamen aliquod illi aequivalens, nempe iudicium invariabile, quo iudicat ipsum esse summum bonum ordinis naturalis, ad quod omnia alia ut ad finem ultimum referuntur, sicut ab eo procedunt ut a primo principio, ex qua cognitione redditur naturaliter beatus: hoc autem sufficit ut determinetur ad exercitium amoris Dei ut auctoris naturae super omnia, quia summum bonum in aliquo ordine beatificans, & actu possessum ut beatificans, necessitat quoad exercitium amoris sui. Porro Angelum habere illud iudicium invariabile, colligitur ex eo quod cognoscat necessario seipsum comprehensivae: in cognitione enim comprehensivae sui, non potest non involvi invariabilis cognitio Dei ut auctoris & conservatoris proprii esse, ac prout de boni sibi convenientis, & necessarii.

Adde quod, quamvis determinatio ad cognitionem & amorem Dei ut auctoris naturae in Angelo non oritur sufficienter ex parte objecti, procederet tamen ex ipsa natura substantiae immaterialis, naturaliter exigentis habere ab

initio totam perfectionem pertinentem simpliciter ad actum primum, requisitum ad hoc ut possit se reducere modo sibi proprio ad actum secundum: unde cum cognitio & dilectio naturalis sui, & Dei ut auctoris naturae, sit principium omnium operationum naturalium Angeli, & se habeat in Angelis veluti motus cordis in animalibus, vel sicut motus primi mobilis respectu motuum inferiorum, debet ab ipsa natura & substantia Angeli, per modum proprietatis procedere: sicut motus cordis sicut quasi proprietas a natura animalis, ut docet D. Thom. in opusculo de motu cordis.

Obijcies tertio: Dilectio naturalis Dei cum eius odio est impossibilis: Sed Angeli mali, supplicii aeternis addicti, Deum odio habent & execrantur, iuxta illud Psalm. 73. Superbia corum qui se obervant ascendit semper: Ergo illum amore naturali non diligunt.

Confirmatur: Cum Dæmon per peccatum sit averfus a Deo ut ultimo fine supernaturali, non potest esse conversus in illum ut ultimum finem naturalem; alioquin simul esset conversus & averfus a Deo: Ergo cum per dilectionem naturalem super omnia Angelus in Deum ut ultimum finem naturalem se convertat, implicat quod Ang. malus Deum dilectione naturali super omnia diligit.

Ad objectionem respondeo, Angelos malos Deum odio habere ut iustum iudicem, penas & supplicia inferentem, non tamen ut bonum universale totius naturae, & auctorem ac conservatorem propriae esse & perfectionem naturalium, ut colligitur ex D. Thoma hic art. 5. ubi ait: illi qui non vident essentiam eius (scilicet Dei) cognoscunt illum per aliquos passiones effectus, qui interdum eorum voluntati contrariantur, & sic hoc modo dicitur odio habere Deum, cum tamen in quantum est bonum commune omnium, nunquamque naturaliter diligit plus Deum quam seipsum.

Ad confirmationem dicendum est, non implicare quod Angelus sit conversus in Deum ut finem naturalem physice, & simul ab illo averfus moraliter per peccatum: sicut etiam homo peccator in mortali existens, respicit Deum ut suum ultimum finem in ordine naturae, non tamen moraliter. Quomodo autem cum conversione naturali in Deum ut ultimum finem naturalem, itet quod Angelus possit peccare moraliter etiam contra finem naturalem, patebit inferius. Nunc breviter dico, quod licet dilectio Dei naturalis sit veluti proprietas Angeli, & naturaliter ab eius substantia fluat, sicut motus cordis a natura animalis ut supra ostensum est; potest tamen ea abuti, illamque vitare ex aliqua mala circumstantia, puta non diligendo Deum tamquam suum finem & beatitudinem naturalem, cum subordinatione necessaria ad eundem, ut auctorem & finem supernaturalem: de quo infra.

Quærit D. Thomas art. 5. huius questionis, utrum Angelus naturalis dilectione diligit Deum plusquam seipsum? Ex responder affirmative, idque probat triplici ratione. Prima est: quia quilibet pars naturaliter magis inclinatur in bonum totius, quam in suum; ut patet in manu, que naturaliter & absque deliberatione se exponit tunc ad conservationem totius corporis; & in aqua, que contra propriam inclinationem ascendit sursum ad vitandum vacuum, totius naturae inimicum. Et quia ratio imitatur naturam, huius naturalis inclinationis imitationem invenimus in virtutibus petlicis: est enim virtus civis, ut se exponat mortis periculo, pro totius republice conservatione. Cum ergo Deus sit bonum & finis universi, ac bonum universale totius nature, comprehendens omne bonum, sicut totum comprehendit omnes suas partes, & quilibet creatura magis sit Dei, quam pars totius, aut civis republice, manifestum est Angelum, & quamlibet creaturam, dilectione naturali magis inclinari in bonum divinum, quam in bonum proprium.

Hanc rationem D. Thom. conatur enervare Scotus in 15 3. dist. 27. quæst. 2. dicit enim primo falsum esse illud principium: pars naturaliter diligit totum magis quam seipsum; nec verum esse quod pars se exponat pro conservatione totius; sed quod ipsum totum magis se diligendo quam partes, eas exponit pro conservatione sui, vel etiam partes precipue minus precipuas. Dicit secundo, quod esse dicitur quod pars se exponat pro toto, non sequitur propterea quod magis diligit totum, quam seipsum; quia exponitur pro toto, propter identitatem sui esse cum esse totius, atque ita formaliter propter conservationem sui esse.

Sed hæc facile dissolvitur: primum quidem, dicendo cum Cajetano, quod five pars seipsum exponat, five exponatur a toto, propter ipsum totum, quia tamen naturaliter exponitur, evidens signum est eam magis inclinari in bonum & conservationem totius, quam in seipsum: quia ut ait Aristoteles 2. physice. textu 78. Unamquamque sicut agit naturaliter, sic oportet naturam esse agere.

Alterum vero etiam reficitur: quia ut recte observat idem Cajetanus, falsum est quod pars se exponat pro toto, propter unionem aut identitatem quam habet cum illo; cum frequenter se exponat cum periculo perdendi unionem aut identitatem.

identitatem quam habet cum toto. Ratio ergo ob quam per se exponit pro toto, est quia essentialiter est totius, & propter illud: unde cum quilibet creatura magis sit Dei, quam pars totius, recte infert D. Thom. Ang. & hominem naturali dilectione magis in bonum divinum, quam in bonum proprium inclinari.

Secunda ratio D. Thom. est: Si Ang. seipsum naturaliter magis diligeret, quam Deum, naturalis eius inclinatio esset perversa: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Minor patet: quia si naturalis inclinatio Angeli esset perversa: eius natura de se esset mala, utpote radix & principium perverſe inclinationis: atque adeo Deus esset auctor mali, vel constituendum esset primum principium malorum: quæ omnia in Manichæis damnata sunt. Sequela Majoris probatur: Perversa est inclinatio que tendit ad diligendum magis medium, quam finem: Sed Deus habet rationem finis: quilibet autem creatura rationem mediæ ad illum ordinat: Ergo si Angelus seipsum naturaliter magis diligeret, quam Deum, naturalis eius inclinatio esset perversa.

Denique. Si Angelus naturaliter magis seipsum quam Deum diligeret caritas & gratia non perfererent, sed destruerent ejus naturam: Consequens est falsum: Ergo &c. Sequela Majoris patet: per gratiam enim & caritatem Angelus magis amat Deum, quam seipsum. Minor etiam est certa: sicut enim fides non destruit, sed elevat rationem; ita gratia & caritas non destruit, sed perficit naturam, eamque elevat ad statum altiore.

Advertendum tamen est, quod licet Angelus naturali dilectione magis Deum quam seipsum amet; dilectione tamen libera & electiva, potest seipsum magis quam Deum diligere. Ratio est, quia Angelus ex libera voluntatis electione potest peccare, quandoquidem de facto peccavit: omnis autem peccans moraliter avertitur a Deo, & convertitur ad creaturam, presertim bonum aliquid creatum bono divino: Ergo Angelus amore libero & electivo potest seipsum magis quam Deum diligere, ac præferre bonum proprium bono divino.

DISPUTATIO XII.

De Gratia & Gloria Angelorum.

Ad Questionem 62. D. Thomæ.

Huc usque de Ang. naturaliter consideratis jam de eorumdem perfectione supernaturali, gratia nimirum & gloria, dicendum superest: de qua D. Thom. quæst. 62. Quæ vero de tempore & loco creationis Angelorum quæst. 61. docet, disputatione proximali fuere a nobis exposita.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Angeli fuerint in sua creatione beati?

Duplex in Ang. sicut in nobis, distingui solet beatitudo: una naturalis; quæ est ult. perfectio ad quam natura angelica potest per vires naturae pervenire, five perfectissima operatio quæ naturaliter potest Ang. convenire, cognitio scilicet & dilectio Dei ut auctoris naturæ: altera supernaturalis, quæ est ultima perfectio naturæ Ang. excedens naturalem ipsius facultatem, five perfectissima operatio ad quam supernaturaliter elevari potest: & consistit in clara Dei visione, ut dicemus in Tractatu de beatitudine. Inquirimus ergo, an duplex hæc beatitudo Angelis ab initio creationis concessa fuerit.

§. I.

Prima Conclusio suscipitur.

Dico primo, Angelos fuisse creatos in beatitudine naturali. Ita Divus Thomas art. 1. huius quæst. ubi præmissa distinctione beatitudinis in naturalem & supernaturalem, subdit: Sic igitur dicendum est, quod quantum ad primam beatitudinem, quam Angelus asssequi virtute sua natura potuit, fuit creatus beatus: quia perfectionem huiusmodi Angelus non acquirere per aliquem motum discursivum, sicut homo, sed statim et ad seipsum sua natura dignitatem.

Confirmatur: Angeli a principio sue conditionis habuerunt cognitionem & dilectionem perfectam Dei ut auctoris naturæ: Sed in hac duplici operatione naturalis ejus beatitudo consistit: cum illa sit ultima perfectio ad quam natura angelica per vires naturae pervenire potest: Ergo Angeli in beatitudine naturali fuerunt a Deo conditi.

Obijcies: Si Angeli fuissent creati in sua beatitudine naturali, in ea permansissent: Sed non omnes in ea permanserunt; Angeli enim damnati sunt infelicissimi, & maxima anguntur tristitia. Ergo omnes Angeli non fuere creati in sua beati-

tudine naturali. Sequela Majoris probatur: De ratione beatitudinis est immutabilitas; Ergo si Angeli fuissent creati in sua beatitudine naturali, in ea permansissent.

Respondent aliqui concedendo Majorem: exultant enim quod licet Angeli simpliciter & absolute miseri sint, possunt tamen dici beati secundum quod, beatitudine scilicet naturali, qua in cognitione & dilectione auctoris nature consistit: sicut homo qui in hac vita contemplationem Dei perfectissimam habet, quodam modo felix diceretur, tamen absolute miser esset, & gravissimum cruciatu periret.

Sed hæc solutio & doctrina displicet: Beatitudo enim naturalis Angeli consistit, quidem in cognitione & dilectione Dei ut auctoris naturæ, absque ulla tamen deordinatione ab illo; unde hæc beatitudinem naturalem haberunt Angeli in statu innocentie ante peccatum: Dæmones vero illam per peccatum amiserunt: quamvis enim directæ & immediate contra Deum ut auctorem naturæ non peccaverint, eo tamen ipso quod peccaverunt contra Deum ut auctorem supernaturalem, ab eoque deordinati sunt, indirecte, mediate, & per accidens, contra eundem Deum ut est auctor naturæ peccaverunt, & ab eo deordinati sunt.

Melius ergo respondetur: negando sequelam Majoris. Ad cuius probationem dicendum est, quod quamvis beatitudo naturalis sit immutabilis respectu Angeli in parati naturalibus constituti, tamen Angelus elevatus ad ordinem supernaturalem, potest indirecte & per accidens illam amittere, peccando directe contra præcepta supernaturalia. Unde commune illud estatum ex Dionysio desumptum: Naturalia in Dæmonibus remanent integra; intelligendum est de naturalibus in esse pure physico consideratis, qualia sunt substantia, potentia, species intelligibiles, & huiusmodi; non vero de naturalibus qua habent aliquid moralitatis admixtum cuiusmodi sunt cognitio practica, & relictio voluntatis ergo ultimum finem: hæc enim, saltem quantum ad aliquid, per peccatum destructa fuerit in Angelis.

§. II.

Stabilitur secunda Conclusio.

Dico secundo, Angelos non fuisse creatos in beatitudine supernaturali.

Probatur, quia hæc (inquit S. Thomas) non est aliquid naturæ, sed naturæ finis: Ergo non debuit communicari Angelis per creationem.

Præterea, ut idem Doctor sanctus discurrens: Quisquis fruar visione essentiae Dei, ita felici necessitate rapitur ad amandum Deum, ut nullo modo possit velle a Deo recedere & peccare: Cum ergo plures Angeli peccaverint, evidens argumentum est eos caruisse visione beata divina essentia; in qua supernaturalis beatitudo creature intellectualis consistit.

Adde, quod, unum ex specialissimis privilegiis animæ Christi collatis, ex eo quod esset Filius Dei naturalis, & haberet gratiam unionis hypostatice, ad quam titulo consuetudinis consequitur gratia habitualis & gloria, fuit quod a primo instanti sui esse Deum permanenter intueretur: Ergo cum similis ratio concedendi tale privilegium, non curat in Angelis, dicendum est quod ab initio sue creationis non viderunt intuitivè divinam essentiam, saltem visione permanenti.

An vero visione transeunti illam viderint, dubitant aliqui Auctores: Ratio autem dubitandi est, quia ex doctrina Divi Augustini libro 11. super Genesim ad litteram, & D. Thomæ 1. p. quæst. 10. art. 11. ad 2. & 2. quæst. 175. art. 3. ideo Moyſes & D. Paulus adhuc viatores viderunt divinam essentiam; visione transeunti, quia cum Moyſes electus esset Doctor Judæorum, & D. Paulus Doctor Gentium, conveniens fuit eos immediate in Deo videre mysteria gratiæ, quæ alios erant edocturi, ut scilicet oculati testes facti mysteriorum quæ prædicabant, possent dicere populis sibi commissis: quod audiimus & vidimus, hæc restantur. Sed pariter Angeli superiores, fuerunt veluti doctores inferiorum ipsos per modum magisterii artificiosè de mysteriis gratiæ illuminando, ut infra dicitur disp. 13. art. 1. Ergo saltem Angeli superiores viderunt a principio sue productionis divinam essentiam per modum transeuntis.

Sententia tamen negativa communis est apud Theologos. Et probatur, quia hæc est regula generalis, & communis lex, quod nullus viator, dum est in statu viæ, divinam essentiam contempletur; cum visio essentia divinæ sit tota merces, & essentialis premium Beatorum: At excipere aliquem a regula generali, & ordinaria lege, absque fundamento, ex Scriptura vel SS. Patribus desumpto, temerarium est: Ergo cum neque Scriptura, neque SS. Patres influant Angelos viatores vidisse aliquando divinam essentiam, id sine temeritate affirmari non potest.